



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio CXVII. Argumentum. Dissertitur, quo celebretur Missa pro Defunctis etiam die Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario? Et quænam sit Missa de Requiem dicenda pro Defuncto Sacerdote ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

recordari, ipsum dixisse: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Et servis qui talenta lucrati fuerant, pramia aeterna concessisse. Matth. 25. 21. Quis mercator non residet in plateis, ut negotietur? Quis artifex non permanet in ergasterio, ut lucrum deferat? Quis advocatus non sedet in Musco clientes expectans? Ilgitur ed diligentius Parochi, ac Rectores animarum debent esse permanentes in Confessionali Sede; sunt enim mercatores coelestes, qui artem artium agunt; & advocare debent pro animabus sibi creditis, ut salventur. Ipsi, qui Angeli vocantur in Scripturis Sacris, & famulantur Altissimo, zelo, & charitate fervere debent, juxta illud. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Psalm. 103. 4. Dedecet enim fuscipientes curam animarum, de eis strictissimam rationem reddituros, accidia, & torpor.

Et hic non pigeat transcribere quæ in hoc argumento scripta sunt à P. Francisco Pavone Soc. Jesu, Viro piissimo, & doctissimo simul. 1. 2. pari. de gl' obbli di Sacerdoti. Meditat. 7. del Zelo dell' anime pag. 255. ubi sic loquitur:

Il terzo punto sarà considerare l' obbligo, che tiene il Sacerdote d' aver zelo della gloria di Dio, e della salute dell' anime, per ragione d' esser Luogotenente di Dio nelle cause dell' anime, con potestà di liberarle dalla servitù del Diavolo, e del peccato. Che occupazioni non deve trascurare, per aver tempo d' ascoltare confessioni? Che fatica non deve pigliare, per imparare la Dottrina necessaria per conoscere le cause dell' anime, e per saperle giudicare? Che diligenza non deve usare, per ridurre al Sacramento della Penitenza i peccatori? Che sollecitudine deve essere nel Sacerdote ad apprendere, & ad usare l'arte conveniente, per disporre nella Confessione l'anime all'agrazia, & alla riconciliazione con Dio? Quanto grand' obbligo è tutto questo? Ma non par possibile, che a tant' obbligo passa convenientemente soddisfare chi agghiacciato tiene il cuore, e lungi dal fuoco del zelo. Talche altrettanto obbligo ha il Sacerdote d' aver zelo della gloria di Dio, e della salute dell' anime, quam' è l' obbligo d' esercitare, come si conviene, la potestà d' assolvere, e di dar la gratia di Dio per via del Sacramento della Penitenza a i peccatori. Come può indursi un' uomo a sedere le ore intiere, & a continuare i giorni, ascoltando i peccati altrui, & a sopportare con pazienza gl'intricamenti delle coscienze, le sozzure abominevoli, le risposte sciocche, & impertinenti, se non ha zelo della salute de peccatori? Potrà la necessità del vitto indurre un povero Sacerdote ad ascoltare con continuazione le confessioni: ma non mai l'indurrà, se non la carità, à fermarsi con perseveranza nell'istruire, nel disporre alla contrizione, nell' interrogare quanto è necessario per la cognizione delle colpe e per l' integrità della confessione, e il provvedere de i remedi alle piaghe marcite. Solamente Santo Zelo sà riprendere senza sdegnare, sà correggere con compassione, sà tirare senza rompere, sà addolcire le amarezze del cuore, sà fraccassare l' ostinazione. Ora si, che io m'aveggo, qual sia stata la causa, perchè io tant' ho abborito il confessare: perchè non ho zelato la salute de prossimi miei, e pure mi corre pericolo della dannazione, se io non corrispondo al talento, che Iddio m'ha dato: se io potendo, e dovendo, non soccorro alle necessità dell' anime. Or io, m'aveggo, onde sia nato il tedio nell' ascoltare le confessioni, onde le mie impazienze, onde le mie frette: perchè questa sorte di fatica non mai l'ho bevuta condita con la dolcezza della carità.

Quæ si cum veritate dicuntur de Sacerdo-

tibus non Parochis, ob debitum charitatis, quid de Rectoribus animarum adstrictis ex iustitia? Considerent, prædicent, in Sede confessionali lubentes, & patientes sedeant, ut populos suos ad frequentiam SS. Sacramentorum attrahant; & in die iudicii unusquisque eorum audire mereatur à Iudice aeterno: *Euge serve bone, & fidelis; intra in gaudium Domini tui.* Luc. 19. 17.

His addere oportet, quæ scripta sunt eruditissimo stylo, etsi vulgari per R. P. Paulum Sengeri Soc. Jesu in suo aureo Libello: *il Parocho Instruito*; in quò præcipue cap. 20. 21. & 22. agit de præcisa obligatione Parochorum excitandi fideles ad frequentiam Sacramentorum Penitentiae, & Eucharistiae; ait enim inter cætera, esse Sacramenta septem Planetas in Cælo S. Ecclesiae benignos, ac beneficos habentes pro centro Solem Divinae Eucharistiae. Horum tres non spectant ad domum Parochorum circa administrationem, nempe Crisma, Ordo, & Matrimonium; nam primi duo attinent ad Episcopos, Matrimonium ad ipsos contrahentes. At alia quatuor à Parochis sunt frequenter ministranda, & omni sollicitudine Sacramentum penitentiae, & Eucharistiae, ut idem Autor ibi demonstrat.

DECISIO CXVII.

ARGUMENTUM.

Differitur, quo mysterio celebretur Missa pro Defunctis etiam die Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario? Et quænam sit Missa de Requie dicenda pro Defuncto Sacerdote ex quatuor positis in Missali?

SUMMARIUM.

1. Defunctis cur die tertio celebretur Missa?
2. Cur etiam die Septimo?
3. Missa defunctorum die trigesimo ab eorum morte cur celebretur?
4. Anniversaria dies mortuorum cur habeat Missam?
5. Sacerdote Defuncto qua Missa pro eo celebranda?
6. Ulfo Maritus S. Birgitta defunctus petit suffragium Missarum.

Circa primam partem Casus responsum fuit, celebrari Missam pro Defunctis Tertio die 1. Ut in Anima integrè reparetur imago Sanctissimæ Trinitatis. Alcuin. de Divin. offic. cap. de Exeq. Mort. 2. Ut absolvatur à peccatis, quæ quis commisit cogitatione, verbo, & opere. Tandem propter triduum Sepulturæ Christi Domini ex S. Clemente lib. 6. Constit. Apost. cap. 48. Septima dies significat totius vitæ purgationem; vita enim septem dierum circulo ducitur, repetitis hebdomadibus. Durand. lib. 6. cap. 87. Vel quia est Symbolum futuræ quietis, S. Ambr. Orat. de fide Resurrect. Vel ut anima suo corpori reconcilietur; illa namque tripliciter peccare solet, cogitatione, verbo, & opere; & corpus quadrupliciter, ob humores quatuor, quibus constat. Alcuin. apud Gavantum infra citan. Et hic mos est antiquus, nam & Joseph Prorex Egypti luxit septem diebus Patrem suum. Genes. 50. undè illud, Eccles. 22. Luctus mortui septem dierum.

Trigesima dies habet antiquum pariter ritum; nam à morte Aaron, & Moyssis populus flevit 30.

30. diebus. Num. 20. Deut. 20. & ab Ecclesia servatur, vel quia Christus baptizatus fuit agens annum 30. unde trigesima die cupit Ecclesia veluti lavari, & mundari animas Purgatorii ab omni reatu; vel quia in hac mensura ætatis plenitudinis Christi omnes resurgemus; ideoque curat Ecclesia, ut animæ Defunctorum 30. die à pœnis resurgant. Amalar. lib. 4. cap. 42. vel ut quidquid in lege Decalogi Defunctus deliquit in Sanctæ Trinitatis misericordia deleatur nam ter decies constituunt triginta. Hugo de Miss. observ. lib. 3. cap. 37.

4 Aniversaria verò dies celebratur, ut sicut Sanctis ea dies prodest ad gloriam, ita Defunctis ad salutem. Amalar. dict. lib. 3. cap. 44. Gavantus d. Rubr. Miss. part. 1. tit. 5. Quartus eod. loc. sub Rubr. 4. Et Hierolexicon Magrii Verb. Missa Defunctorum, ubi de his diebus eruditiones plurimæ.

5 Circa secundam partem Casus, omnes concorditer scripserunt, pro Defuncto Sacerdote dicendam esse secundam Missam positam ex quatuor de Requie in Missali, mutata oratione quæ propria pro Sacerdote dici debet, videlicet Deus, qui inter Apostolicos, &c. vel Præsta quasumus, &c. est mens omnium DD. Quartus dict. part. 1. tit. 5. sub Rubr. 4. dub. 1. num. 12. Gavantus part. 4. tit. 18. num. 8. Bauldry part. 4. cap. 18. num. 21. Castaldus lib. 2. sect. 6. cap. 5. num. 5. ubi subdit quod dici possit etiam prima Missa ex prædictis quatuor, maxime si solenniter celebrentur exequiæ. Philippus Angeli in praxi Missa privat. part. 2. cap. 16. num. 7. & Claudius Arnaud. tit. 18. num. 2. pag. 274.

6 Lubet hic addere quæ leguntur in Revelationibus S. Birgittæ tom. 2. in Extravag. cap. 56. videlicet huic sanctæ apparuisse Ulphonem ejus maritum defunctum, & dixisse: Nunc igitur, quia clarum est mihi auxilium petere, rogo te, ut per annum integrum facias continue celebrare Missas de Salvatrice nostra Sanctissima Maria de Angelis, & de omnibus sanctis, & pro defunctis. In super de Passione Christi Salvatoris nostri, quia spero melius erari citius à pœnis Purgatorii, in quibus jam dixerat, se derineri. Videantur alia exempla Defunctorum à me relata in Decisionibus de Sacrificio Missa Decis. 14. num. 16. & seq.

DECISIO CXVIII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quibus rationibus persuadendi sint homines Adulti, ut concurrant ad Ecclesiam ad audiendam explicationem Doctrinæ Christianæ, hora, qua fiunt disputationes circa illam?

SUMMARIUM.

1. Doctrina Christiana discenda necessitas.
2. Parochorum exhortatio attrahit plebem ad Doctrinam Christianam.
3. Classis quinta pro Adultis in Scholis Doctrina Christiana.
4. Parochorum diligentia in Doctrina Christiana explicatione.
5. Interrogationes ad pueros de Doctrina Christiana juvant Adultos, eas audientes.
6. Parochos misit Christus docere, sicut ipse fuit missus à Patre.

ET si plurimas rationes scripserint DD. Parochi, & Confessarii ad hunc casum, desumptas ex necessitate sciendi Doctrinam Christianam, quam Laici habent, & ex obligatione illam explicandi, qua sunt obstricti ipsi Parochi, & Curati animarum, ut videre est apud Possivium de Offic. Curati cap. 4. & ibi Victorell. in Adit. Nihilominus placuit Eminentissimo Episcopo nostro, ut hic tres solummodo annotarentur, quæ si servatæ fuerint in praxi, satis erunt ad suadendos Homines adultos, prout in Argumento.

Prima est, quod ipsi Parochi, & Curati jugiter, & efficaciter cohortentur populum, ut accedat ad audiendam ipsius Doctrinæ Christianæ explicationem: siquidem experientia docuit EMINENTIAM SUAM, plebes omnes devotas, & propensas esse ad ea, quæ per Parochos efficaciter commendantur.

Secunda: quod ipsi Parochi, & Curati deputent quintam Classem, pro instruendis Adultis Doctrinam Christianam in Ecclesia, juxta Decreta EMINENTIÆ SUÆ, &

Tertia: quod iidem Parochi sint assidui, & diligentes singulis diebus festivis in explicanda Doctrina Christiana, statim post meridiem; & tempore disputationum fatagant, interrogare pueros facili methodo super sensu, seu intelligentia Doctrinæ Christianæ; etenim quæ sita, & interrogationes movent curiositatem auditorum, quos non pudet, audiendo pueros respondentes, addiscere ea, ad quæ si interrogarentur ipsi, nescirent respondere. Exempli gratia. Super articulo quarto Symboli fidei, ubi agitur de Passione, & Morte Redemptoris, juvat quærere, & petere in disputatione: Qua die Christus Dominus sit passus? Qua hora? Quo in loco? Qua morte? Et harum interrogationum occasione instructos reddere auditores, cur à carnibus abstinemus die Veneris? Cur recitemus Angelicam Salutationem in meridie? Cur adoremus Sacrosanctum Crucis Signum? Et his similia, quæ magnopere delectant animos, & illuminant intellectus idiotarum, & in causa sunt, ut promptè concurrant ad Ecclesiam, disputationes audiant Doctrinæ Christianæ, & illam addiscant.

De hoc onere Parochis incumbente docendi Adultos Doctrinam Christianam legendus est P. Paulus Segnerius in d. Libello Il Parocho Instruito, ubi cap. 5. ostendit Parochos in eo non solum, esse successores Apostolorum, sed ipsius Christi qui cum hoc onere missus fuit ab æterno suo Patre in terram. Evangelizare pauperibus misit me. Luc. 4. 18. & nunquam cessabat docere, & prædicare, subdens hanc rationem: Quia ideo missus sum. Luc. 4. 43. Ad Apostolos autem, & Discipulos suos ait: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Joann. 20. 21. In die autem Ascensionis suæ declaravit eò magis, ad quid eos mitteret dicens: Euntes docete omnes gentes. Igitur Parochi electi sunt ad docendum populum. Hinc Apostolus Paulus vocat unico serm. Rectores animarum Doctores. Ad Ephes. 4. ibi Alios verò Pastores, & Doctores, ubi S. Th. glossans scripsit: Ad ostendendum, quod proprium officium Pastorum Ecclesia sit, docere ea, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores. Quis inter Parochos erit, qui recogitans corde hanc strictissimam suam obligationem, negligat docere Adultos Doctrinam Christianam?

DE-